

etiam (imò Hallæ) magna domus, amplave atria erant; ut scribit Rigordus de re Philippi Augusti, anno ejus quarto. Aliæ originationes Æneæ Sylvij, & Felicis Fabri; quas vide ap. istum lib. 1. Hist. Suev. p. CCVII. Hæc ille. Hallæ celebres Austriacæ, Saxonica, Salisburgenses, Suevica, Hannonia, ac in Valle Oeni. Dicam nihilominus, quod sentio: videtur redolere pariter natales Celticos, vox Halle. Anglis certè & Saxonibus Gothisq; priscis, jam tum post natum Servatorem quarto seculo significabat atrium, Augustæ domus spacium, & concamerata loca. Hinc in sacris celebratur die Halle Salomonis; ut Londini Witball: Aut Franco-Gallorum Halle nomine vocatur forum, quod à conventu leproforum statuit Philippus Aug. intra Parisior. Urbem, quod extra eam pro rebus fuerat venalibus, à Mercatoribus exponi solitis; prodente Gaguino in Philippo. Non malè igitur Cluver. Germ. Antiqu. l. 1. c. 45. Halle, inquit, est atrium Palatij vocabulo Celtarum veteri. Telum inde, quod vulgò nunc appellatur Hållebard nil aliud significat, quàm securim Palatinam; quâ Regum atque Principum satellites armantur, ut custodes corporum. Bipennes Lexicographi exponunt: Claudius Fauchet (lib. de la milice & armes,) Alebardas frustra nominat, recentiusq; opus statuit Alemanorum & Helvetiorum, An. 1475. sub Ludovico XI. in Gallia ad usus bellicos adhibitum. Sed nos regredimur in viam.

§. III. Classicum paratur hîc: ad arma canitur: civile bellum inter gentes sanguine communi cretas, potentissimas, vicinas, & Germaniæ penè principes, suscipitur, in causa Salinarum. Ex parte una Catti, ex altera Hermunduri occurrunt; cladem funestissimam minantur; mutua ad arma ruunt Germanorum pectora. Latissimis hæc oculis & auribus Romani usurpabant. Tacitus in primis gaudet, dum in pari casu, quo excisis Brucleris Chamavos Angrivariosq;